

JOHN CAIUS

DE RARIORUM
ANIMALIUM ATQUE
STIRPIUM HISTORIA

John Caius
De Rariorum Animalium
atque Stirpium Historia

*http://www.litres.ru/pages/biblio_book/?art=24181036
De Rariorum Animalium atque Stirpium Historia:*

Содержание

Ad Gesnerum	4
De Cane Getulo	6
De Uncia	7
De Lynce seu Leuncia	13
De Zibetto	15
De Strepsicerote	17
De cornibus Cervi Palmati	19
De Tragelapho seu Hircocervo	20
Конец ознакомительного фрагмента.	23

De Rariorum Animalium atque Stirpium Historia

Ad Gesnerum

Aristotelem, virum omnium sæculorum laude celebratum, cum animalium historiam scriberet, & principis ope & multorum opera usum esse, monumentis traditur, quòd nec omnibus cognoscendis sufficere, nec omnibus locis esse, nec omnium operas præstare unus ille potuisset. Idem cum scirem tibi usu venire potuisse honesto opere occupato (Conrade Gesnere doctissime) adhibebamus diligentiam nostram partim sponte naturæ nostræ, partim honestissimis literis tuis excitati, ut quæ istic in nostra Britannia occurrerent, honestum conatum tuum in utilitatem communem inclinatum promoverent. Misimus igitur quædam per intervalla temporum, prout se fortuna nobis obtulerunt. Ea in unum veluti fascem collegimus, & in ordinem revocavimus: tum quòd universam rerum naturam ut nos expressimus tu non prodidisti, sed detruncatam pro usu tuo: tum quòd quædam intercidissee tibi (ut Brendini anseris descriptionem) in scriptis tuis confiteris. Hæc quòd rarioris generis atque argumenti sunt, tuaque causa scripta, de rariorum

animalium atque stirpium historia ad te inscripsimus. Continet enim quadrupedes omnes, volucres, pisces, atque stirpes, quæ aliàs ad te conscripsimus & transmisimus, quæque apud nos in scriptis asservavimus, & aliquot præter ea alia, in quæ vel ex eo tempore incidimus, vel quæ ad te non ante misimus. Ex quibus ea solum prodidimus, quæ rara, & magna ex parte a communi usu sensuque hominum nostri orbis remota nobis videbantur, ab omnibus notis & vulgaribus temperantes. Et quoniam de Britannicis tantum canibus scribere instituimus in libello nostro de canibus Britannicis ad te, externos canes quos ego miserim, tanquam alienos ab illo instituto, in hunc libellum relegavimus. Is, quòd unus solus & Getulus fuit, de eo solo jam dicemus, exordiumque ab eo capiemus, cætera suo ordine prosequentes: sic ut primo de quadrupedibus; mox de avibus; tertio de piscibus; ultimo de stirpibus verba faciamus.

De Cane Getulo

De quadrupedibus. Canis Getulus jam anno domini, 1554. apud nos est in Britannia: corpore coacto, curto & recurvo naturaliter, etiam cum ingrediatur, pariter & collo brevi aut nullo; cruribus longioribus quam pro corporis proportione, cauda brevissima & pene nulla; facie (ut herinaceo terrestri) acuta atque nigra; oculo item nigro, dente canino, ex altera oris parte infra supraque geminato, ex altera simplici; voce canis, gressu simiæ, pilo per faciem & anteriores partes crurum levi, per reliquum corpus hirto. Idem per totum corpus intimus seu ad profundum ruffus est, per tergus extimus & per superficiem Lupinus. Longitudo illi a capite ad caudam, pedis unius tantum est, & pal. unius Ro. dempto uno digito. Altitudo, pedis unius & pal. unius est.

De Uncia

Uncia fera est sævissima, canis villatici magnitudine, facie & aure leonina; corpore, latere promisso, cauda, pede & ungue felis, aspectu truci; oculo splendore radiante, dente tam robusto & acuto, ut vel ligna findat; ungue ita pollet, ut eodem contra nitentes in adversum retineat: colore per summa corporis pallescentis ochræ, per ima cineris, asperso undique macula nigra & frequenti, cauda reliquo corpore aliquanto obscuriori & grandiori macula; quam extremam movet, ut felis, cum lubet, reliqua immota. Auris intus pallet sine nigro, foris nigricat sine pallore, si unam flavam & obscuram maculam è medio eximas. Ea e duplici pelle (ea videlicet quæ e regione exteriori maxillæ assurgit, & quæ a summo capite convenit) in summa aure coeunte constituta est, facileque in sicco capite (quale domi meæ habeo) & videri & separari eadem possunt. Reliquum caput totum est maculosum frequentissima macula nigra (ut est reliquum corpus) nisi ea parte quæ inter nasum & oculum est, qua nullæ sunt, nisi utrinque duæ, & eæ parvæ: quemadmodum & cæteræ omnes in extremis & imis partibus reliquis sunt minores. Maculæ in summis quidem crurum partibus & in cauda nigriores sunt & singulares, per latera vero compositæ, quasi singulæ maculæ ex quatuor fierent. Ordo nullus est in maculis, nisi in labro superiori, ubi ordines quinque sunt. In primo & superiori duæ discretæ: in secundo sex conjunctæ, ut linea esse videantur. Hi

duo ordines liberi sunt, nec inter se commisti. In tertio ordine octo conjunctæ sunt, sed cum quarto, ubi finit, commiscentur. Quartus & quintus in suo principio (quod ad nasum habent) tenui admodum discrimine separati, statim se committunt, & una decurrunt per totum superius labrum, faciuntque non maculam per totum id, sed latam lineam. In mortuo animali ita se habent maculæ, propter cutis (puto) contractionem. In vivo, maculæ istæ in suis quæque ordinibus videntur separatae. In ipso medio inter hos utrinque ordines aliæ minores sunt, exactè per quincuncem dispositæ. Sed in imo labro maculæ, etsi magnitudinem, non tamen ordinem servant. Nasus nigrescit, linea per longitudinem perque summam tantum superficiem inducta leniter. Oculi glauci sunt. Dentes illi anteriores hinc inde sex sunt, humanis non absimiles, nisi quòd ex his qui in medio collocantur, minores: qui per extrema, majores sunt, ut & superiores imis. His, utrinque dens grandis, acutus, atque longus est, in ima maxilla cæteris junctus, in superiori tanto spatio disjunctus, quanto dens inferior capi possit. Hi labris velantur in vivo animali, sed in mortuo non item, reductis præ siccitate labris. Grandis ille dens longus est digitos Rom. duos, in ambitu ad radicem non nisi digitis duobus cum semisse comprehensus. Denti inest cavitas quædam exilis per totam longitudinem, quæ tamen non apparet nisi rumpatur dens. Inferior maxilla durum os est & rigidum, tres dentes habens magnitudine inæquales, ut & superior quatuor. Cava etiam ea est intus per longitudinem. Inter magnum dentem & maxillarium primum inferioris maxillæ,

spatium est unius digiti vacuum, a quo positus statim est primus, cæteris duobus minor. Huic contiguus alius est grandior: & post hunc tertius etiam, secundo major. In summa maxilla, in medio illo spatio (quod digiti unius Rom. esse dixi) inter dentem grandem & primum maxillarem, dens est exiguus admodum & informis, demittens se tantum leniter è maxilla, nullo in inferiore, qui illi respondeat, existente. Dimidiati digiti post eum spatio, secundus est, cui junctus tertius est, & post hunc quartus. Inter se ita superiores & inferiores maxillares morsu committuntur, ut pectinatim coeant. Duo priores in inferiori, & secundus & tertius in superiori maxilla dentes, ejus sunt figuræ, cujus est iris in summo diademate coronatorum aureorum Regis Angliæ atque Franciæ. Ejus etiam figuræ tertius est in inferiori, & quartus in superiori, nisi quòd interior utriusque ala, quæ gulæ propior est, natura demitur. His conjuncti nulli erant alii in utraque maxilla. An post intervallum unius digiti, finita dentium serie, relictum integrum alii erant inserti, nescio. Illud scio, non nisi post id spatii amputatas maxillas, quasi studio monstrandi dentes id esset factum, indicioque nullos superfuisse. Pudendum iis est felis. Mari statim sub meatu, quo alvi excrementum redditur, positi testiculi duo sunt parvi, quibus ab ima parte junctus caulis est, non propendens, sed in suo præputio extuberans tantum leniter. Vivit ex carne. Fœmina mare crudelior est & minor. Utriusque sexus una ad nos ex Mauritania est advecta nave. Nascuntur in Libya. Si quod illis coeundi statum tempus est, hic mensis Junius est. Nam hoc mas fœminam supervenit:

si id natura fecit ac non lascivia. Leones cicurari possunt, id quod ex hoc intelligo, quòd in urbe Londino, & in arce Londinensi leones custodum suorum oscula excipiunt, contactum admittunt & colludunt. Ipse vidi. Ista animalia tam ferocia sunt, ut custos, cum primò vellet de loco in locum movere, cogeatur fuste in caput acto (ut aiunt) semimortua reddere, atque ita in capsam ligneam ad hoc factam, & respirationis gratia perforatam reponere, atque ita de loco in locum tuto transportare. Post horam reviviscebant tamen hæc, ut cati, non nisi extremis injuriis obnoxia morti. Itidem fecit custos cum è capsam exemit. Jam vero novas rationes invenerunt reponendi & eximendi, trahendo ea in capsam fune, & capsam eis admovendo conto. Fœminam jamdudum ira sustulit: parvi canis consuetudine mansuescit mas, adeo ut resupinatus complectatur canem pedibus & colludat, ita ut nec dente lædat nec ungue. Vestigia habet Leoninis prorsus similia. Eodem enim die & unciæ & Leonis vestigia vidi, hujus cum homine, illius cum parvo cane ludentis. Ungues habet validos, uncos & acutos, falculosque aversos, quorum mucrones condit in corporis vaginas ut leo & felis, nec nisi appetendo prætendit. Aiunt hæc animalia sæpe cum leone contendere. Parvum canem non lædunt, nisi fames urgeat: magnum vel satiati lacerant. Iratus, vocem edit irati canis, r. literam geminantis, sed quàm quivis canis majorem, ex amplo pectore & arteria seu curculione ductam; qualemque canis villaticus redderet, si in cupa grandiori inclusus ad iram stimularetur. Quòd scribunt esse cane longius, id mihi non videtur. Nam sunt apud nos

multi canes villatici, qui longitudine æquent. Pecuario tamen & major est & longior, ut & villatico humilior. Vanum est, quem Uncia vulneravit, eum murium concursu permictum interire. Nam nos vidimus duos custodes ab una Uncia vulneratos, nec tamen mures accurrerunt, nec perminxerunt, neque ex vulnere gravius quid est insecutum, quam si ex sano cane, aut incisione levi vulnus esset. Quem ferit, caput petit si possit, idque aut ex insidiis, si imparem se putet: aut simulata benevolentia, si insidiis non possit. Ita enim canem villaticum (sic M. Varro & Columella eum nominant, quem hodie Molossum vocant; cujus generis præcipui pugnacesque apud nos sunt in Britannia, ut si uspiam terrarum, adeo ut ne cum urso quidem certare singulari certamine vereantur; uti in libro nostro de canibus Britannicis diximus) dudum interfecit intromissum. Primo enim conspectu, caudæ motu applaudebat: mox se prosternebat tanquam supplex, tum appropinquabat velut ludibunda, exporrecto pede uno, ut feles solent cum ludere gestiunt. Tandem ubi securum putabat canem, ac de vita parum sollicitum, nacta opportunitatem, impetu insultabat, ac morsu jugulum petiit, nec nisi mortuum dimisit. A morte, ungue lacerando pectus aperuit, & cor eduxit, primumque voravit, crudeli more. Dentes non denudat nisi irata. *Pantheræ*. Non absimiles istis mores Pantheris sunt. Etenim tradunt odore earum & contemplatione armenta mire affici, atque ubi eas persentiscant, properatò convenire, nec terreri nisi sola oris torvitate. Quam ob causam Pantheræ statione absconditis capitibus, quæ corporis reliqua sunt spectanda

præbent, ut pecuarios greges stupidos in obtutu populentur
secura vastatione.

De Lynce seu Leuncia

Est in arce Londinensi animal carnivorum, agni bimestris magnitudine, corpore toto, capite, ore, pede, & ungue felis; sed sua barba atque cauda; illa utrinque dependente, ex dimidio anteriori nigra, posteriori alba; hac, brevi atque crassa, ex dimidio superiori ruffa, inferiori nigra. Oculo flavescente, cilio obscurè albicante. Aure, ut cati, erecta, pilo intus albo & tenui repleta, foris albo & nigro vestita, sed ita ut summa pars nigro, media, triangulari fere modo, candido, & ima nigro vestiatur. Nec est ea contenta suo orbe finiri, nisi etiam & anterior ejus pars seu extrema margo & posterior etiam eo modo recurvetur in aversum, quo modo margines galeri sacerdotis Græcæ apud Venetos ecclesiæ utrinque ad superiora replicantur. Summis auribus insident pili aliquot nigri, veluti cristæ. Color animali est in extima parte ruffus, in intima albus, sed respersus hic fuscis & fere per quincuncem dispositis, illic sui coloris obscurioribus maculis, singulari pilo candido & item frequenti per universum corpus præter cætera conspicuus, ut est in quibusdam cuniculorum nigris pellibus. Ex utraque nasi parte maculæ quatuor sunt, ordine recto positæ, in utroque labro, ut nunc dicemus. In superiori labro, quinque sunt macularum ordines æquidistantes. In primo ordine & summo, quatuor; in secundo, quinque; in tertio, octo; in quarto, quinque; in quinto, quatuor sunt, & hæ etiam in suo quæque ordine æquidistantes.

In imo labro, septem sunt tantum insigniores, duobus ordinibus collocatæ. In primo, quatuor, ad ipsam labri oram; in secundo post eas, tres aliæ; post has, aliæ minores, sed non ita certa lege dispositæ ut superiores. In superiori labro, utrinque extant pili quidam rigidiores atque albi, ut in catis & leonibus. Nasus illi ruffescit pallide, distinctus a cætera facie undequaque linea nigra. Extremum nasum per longitudinem alia linea (ut in Uncia) dividit, sed per summa tantum leviter ducta, non per ima altius impressa. Pes illi callosus est, & unguis, ut Feli & Unciae, in pede abditus, nec nisi appetendo præterdit ut illæ. Scandit mirum in modum, ita ut ea in re quid possit, ipsa natura vel in cavea docet. Mobile animal est, & loco stare nescit, adeo ut nisi fortè fortuna Pici martii vox ex corbe cujusdam rustici (qui tum leones videndi causa venerat) quietum reddidisset & attentum, nulla fuisset spes exquisitoris delineamenti. Eo præsentem, quietissimum erat; illo discedente, nusquam consistebat. Quamobrem coactus eram, misso post rusticum famulo, vocalem illum emere, quo præsentem, mirabundum tantisper constitit, dum confecto negotio atque absoluto opere discedendum fuit. Luzarne nostri vocant, Leunciam ne an Lyncem ex vocum symphonia dicturi, ambiguum est. Pellis in usu est magnatum, & pretiis venditur amplioribus. Non excandescit nisi in injuriosos. Vocem reddit qualem felis, cum succenset socio cibum prærepturo. Custodi blandum est & mite, nec in quenquam sævum.

De Zibetto

Nuper fortuna mihi Zibettum animal ex Africa obtulit. Id curiosius ad vivum atque diligentius depictum ad te mitto, ut non sit ovum ovo similis. Id fele quovis majus est, & taxo paulo minus, facie acuta ut taxi aut martis, aure brevi, obtusa, & orbiculari, intus pallida, foris nigra, nisi in marginibus ubi pallescit. Oculo cœruleo & cœlesti, crure & pede nigro, explanatoque magis quam feli: ungue item nigro, nec in pede abdito, nec ita adunco ut feli, dente magis quàm ungue timendum. Totum est maculosum. Etenim nasus illi niger est, ima pars maxillæ superioris pallescit, media nigrescit: inde ad verticem, melino colore est. Inferior maxilla nigra est tota. Setæ in labro superiori albæ sunt in pallida cute, ut & paulo supra oculum duæ alias albæ in cute nigra. Guttur nigrescit. Paulo infra supraque aurem lineæ tres nigræ oriuntur, quarum prima recta descendit ad guttur: secunda obliquè defertur ad mediam colli longitudinem: tertia obliquè item ad armum fere pertinet. Paulo infra id loci, contrario ductu, aliæ lineæ exorsæ, semicirculari pene modo ascendunt ad spinam per armum, idque per armum tantum regionem. Nam cæterum corpus macularum lineas (seu ordines) abruptas aut continuas, per corporis longitudinem dispositas, aut productas habet. Etenim quæ per spinam tenditur una, longa est & continua, ab armis incipiens; secunda una item, sed abrupta, ut & tertia. Quarta & quæ deinceps sunt, maculæ

discretæ sunt, sed ita ut in longitudinem porrigatur earum positio. Cauda illi ex dimidio priori maculata, ex posteriori nigra ex toto est. Pilus per faciem, tibiam, atque pedem, mollis est & sessilis; per reliquum corpus, profundus, rigidus & erectus. Maculæ penitus descendunt, non per summa tantum incumbunt. Lingua non scabra, sed lævis est. Sub cauda meatus est, ut cæteris animalibus, per quem alvi excrementum egerit. Paulo inferius, civettæ receptaculum est. Pari post spatio pudendum masculinum est, in corpore abditum. Iratum vocem edit irati canis, r. literam geminantis. Aliter affectum, felis, cum adhuc sit juvenis, sed submissam. Longum est Zibettum à capite ad caudam, pedem unum, palmos tres, & digitum unum Rom. Crassum sub ventre maxime, qua maximum est, pedem unum, palmos duos & digitos tres Rom. Mansuetum animal hoc nostrum est, & tractabile. Vendebatur libris octo nostratibus, hoc est, coronatis Gallicis viginti quatuor, aut florenis Rhenensibus quadraginta octo.

De Strepsicerote

Strepsicerotis cornua tam graphicè descripsit Plinius, atque lyris tam appositè comparavit, ut longiore verborum ambitu opus non sit. Ergo hoc tantum addam; ea esse intus cava, sed longa pedes Rom. duos, palmos tres, si recto ductu metiaris: si flexo, pro natura cornuum, pedes tres integros. Crassa sunt, ubi capiti committuntur, digitos Romanos tres cum semisse. Describuntur in ambitu palmis Romanis duobus & dimidio eo ipso in loco. In summo, lævore quodam nigrescunt, cum in imo fusca magis & rugosa sint. Jam inde a primo ortu sensim gracilescent, & tandem in acutum exeunt. Pendunt una cum facie sicca per longitudinem dimidiata, libras 7. uncias 3. & semissem. Facies, quæ adhuc superest juncta cornibus, & frontis cervicisque pilus, loquuntur Strepsicerotem animal esse magnitudine ferè cervina, & pilo ruffo ad instar cervini. Sed an nare & figura corporis cervina sit, ex facie nihil habeo certi dicere, cum nares diuturni temporis usu detritæ sint, & facies eadem de causa hinc inde glabra sit. Conjiceres tamen ex eo quod superest, eum propius accedere ad Cervum aut Platycerotem. Hinc pictor cervinas adjunxit nares Strepsicerotis faciei. Aures tamen habes Strepsicerotis, exiguas scilicet & breviores, quàm pro faciei magnitudine. Quod inter radices cornuum vides, pars colli est. Sunt qui putent ovem Cretensem Strepsicerotem esse. Equidem aliter sentio: Etenim si ovis Cretensis seu Judæa, Strepsiceros sit, propter erectorum

cornuum versuram, eadem opera & Monoceros erit Strepsiceros. At non propter versuram erecti fibri, sed flexuram indirecti cornu vocatur Strepsiceros. Ita enim flexa utraque sunt, ut eorum curvaturæ faciant imaginem lyræ, ut rectè scripsit Plinius. Quamobrem lyræ imaginem adjunxi, ut inter Strepsicerotem & ovem Cretensem, non tu solum, sed & omnes qui eam viderint dijudicent. Talem autem antiquorum lyram fuisse vicissim & ex hac cornuum curvatura, & ex cœlesti lyra scire licet (etsi in chartis astronomicis aliter depingatur) si dempto manubrio, aut pro manubrio supposito animalis capite, spatium inter cornua corpus esse lyræ animo conceperis.

De cornibus Cervi Palmati

Caput hoc videtur mihi ejus animalis esse, quod Julius Capitolinus in historia sua de tribus Gordianis Cervum Palmatum ex argumento vocat. Ejus si non est, alicujus ex genere Platycerotôn fuerit. Verum quòd cornua hæc aut æquant aut superant & longitudine & crassitudine cervina, & latitudine excedunt Platycerotis cornua, consonum est corpus animalis Cervi potius quam Platycerotis simile esse. Vidimus in cœnobio Killyngworthensi, in Anglia nostra in comitatu Warwicensi, unde depinximus.

De Tragelapho seu Hircocervo

Est in Britannia nostra hoc anno 1561. peregrinum animal & bisulcum, ex rupibus montanisque locis Mauritaniae adventitium, media magnitudine inter Cervum & Platycerotem: corpore quidem cervi, sed latere firmiori & promissiori, crureque breviori & crassiori: colore item & pilo cervi, quo est hibernis horis, ruffo & nigro promiscuè positis: arunco capri, sed diviso, sed in adversum recurvo; collo mediocriter quidem longo, sed crasso. Sub eo multus & longus villus, per omnem penè ejus longitudinem productus, ad genua ferè pendulus: juba setosa per totam cervicis longitudinem exporrecta, sed præcipuè per summos armos tuberis instar longi erecta, colore quàm est reliqui corporis aliquanto obscuriori: genibus longo & denso pilo ad posteriora reflexo per transversum, sed callo nullo contactis, credo ut fallentis saltus, casusve injurias arceat; ungula priorum pedum exteriori, majori & longiori; interiore, minori & breviori. Posteriorum contra, interiori ungula majori & longiori; exteriori, minori & breviori, quasi utrobique unam capri, alteram cervi diceres: sed omnibus cavis, & solea seu vestigio carentibus, hoc forsàn naturæ consilio, ut per asperitates locorum, quibus naturaliter delectetur, firmitus figat pedem, dum asperitas loci ungulam subintret. Fœminarum ungulæ duas aut tres impressiones habent, per summa læves diligentius contuenti, quæ maribus desunt, quasi fœminis natura aliquid ad delicias

atque ornamentum adderet. In utroque sexu ungułæ quotannis decidunt, ut in cervis cornua; volente natura in unguulis cervum monstrare, cum in cornibus, quæ caprina magis sunt, non posset. Aure breviori, quasi capri; oculo, pudendo, testiculo, & cauda cervi, nisi quòd hæc momenta longior est. Cornibus arietis sed nigris, sed suo modo in aversum reflexis. Per eorum longitudinem mediam producitur linea, duos distinguens rugarum utrinque recurvarum ordines. A summa sui parte, gibba sunt, ab ima, cava, seu resima, angulis utrinque obtusis. Longa sunt pedes Rom. duos & digitum unum; distantia qua latissimè patent, pes unus, palmi tres, digitus unus, & semis; qua minimè, vix digiti unius latitudo est. Crassa verò ad radices in ambitu, pes unus, pal. semis. A digitalis enim, (ut dixi) latitudinis distantia in principio, sensim se expandunt in latus & aversum ad pedem unum, pal. 3. digitum unum & semissem. Dein se revocant introrsum, ita ut summa fastigia non distent nisi pede uno & palmo uno. Cornuum situm atque flexum naturalem contemplare in capite absoluto a corpore; figuram gibbam & resimam in adnato. Longitudo faciei a vertice ad nares extremos pedis est unius & digit. 3. latitudo ad frontem, qua parte latissima est facies, palmos duos, & digitum unum est. Altitudo totius animantis est, pedum trium & semiss. excepta juba; longitudo totius a vertice ad caudam, pedum 4. est & dimidii, ac digitorum duorum. Dentes habet tantum inferiores, & eos sex, nec defectum dentibus puto. Ruminat ut cætera bisulca. Nares nigri sunt, a quibus labrum superius

dividitur linea nigra perpendiculari. Mite animal est, petulans & lascivum, moribusque reliquis similius hirco quàm cervo: præruptis editisque locis atque tectis gaudens & insultans, unde se præcipitare in cornua aiunt naturaliter, ut iis fracto prius casus aut saltus impetu, anteriora genua corpus postea excipiant. Cursu valet, sed saltu magis. Memoratæ enim altitudinis loca saltu scandit. Fœminæ maribus multo sunt minores, cornutæ etiam & villosæ gutture atque collo, sed non ita magno, longo, & reflexo cornu, nec ita denso & longo villo, ut mares. Vescitur fœno, pane, furfure triticeo, avena, & herba. Ego Tragelaphum puto. Vulgus & qui ex Mauritania advexerunt, ovem Barbaricam vocant, cum tamen nihil habet commune cum ove. Quidam rursum cervum Barbaricum, qui rectius sentire mihi videntur, cum ex dimidio posteriori, similior cervo sit; ex anteriori, magis capro. Fœtus pariunt singulos.

Конец ознакомительного фрагмента.

Текст предоставлен ООО «ЛитРес».

Прочитайте эту книгу целиком, [купив полную легальную версию](#) на ЛитРес.

Безопасно оплатить книгу можно банковской картой Visa, MasterCard, Maestro, со счета мобильного телефона, с платежного терминала, в салоне МТС или Связной, через PayPal, WebMoney, Яндекс.Деньги, QIWI Кошелек, бонусными картами или другим удобным Вам способом.